

rationis seu coctionis illius plura, quam par est, faciamus excrementa.

In singulis coctionibus duo esse excrementa, tenue & crassum, alibi probatur. Hujus autem coctionis excrementum tenue cum sit de omnium consensu, bilis flava, in vesicâ felleâ collecta: quærendum est amplius, Quod sit crassum? Hoc jam iterum de omnium consensu nuncupatur Melancholia, quæ in liene stabulatur.

Verum enimvero, quam notum est nomen ipsius: tam ignota est essentia ipsius, & generationis modus.

Ab hoc ut ordiar, volunt Galenici, existere in hepate, prorsus ut bilis, ex eodemque hepate trahi à liene, prorsus ut bilis trahitur à vesicâ. Verum id jam refutatum est satis evidenter. Generatur itaque Melancholia in liene, postquam is chylum suum elaboravit, ut par erat.

De essentiâ interrogati iidem, οὐοθυμαδὸν affirmant, Esse terram. Hoc negant, qui Hipp. sequi videri volunt, & multis hinc inde conquisitis argumentis, etiam expressi contendunt, Esse aquam.

Ne prolixus sim: utrique bene: utrique male. Malè, quatenus singuli hoc unum & solum urgent: Bene, quatenus utrumque com-

F 3.      jussitum